

exire, ibique cum parte læsa de satisfaciendo respondere, et componere, quia tunc clarum est, quod iudex sæcularis causam cognoscens, et examinans pœnam pecuniariam competentem imponere habeat. Castro Palao, loc. cit. Abbas, loc. cit. n. 8 et 9.

170. *Non potest spoliari bonis suis secum in locum asyli, allatis. Bene tamen alienis, et armis prohibitis.* — VI. Est, quod reus non possit spoliari rebus suis, quæ secum tulit in locum asyli, Farinacius, in append. de Immunit. cap. xix. n. 300; Castro Palao, loc. cit. n. 8; Pirhing, h. t. n. 49; Layman, loc. cit. n. 13. § 4. cum communi aliorum, arg. can. *Sicut*. 6. cau. 17. q. 4. ibi: « Qui personam, aut bona ejus subtraxerit (e loco asyli) excommunicetur, » et can. *Diffinivit*. ad caus. et q. ubi prohibetur, « quidpiam nobilitatis, vel damni, seu spoliis residentibus in loco sancto inferre: » quod intelligitur de bonis propriis: nam aliena, si secum affert, ei utique auferri, et suo domino restitui debent, uti fatentur omnes. Imo si ob damnnum datum oportet restitutionem fieri, etiam de propriis bonis secum allatis, ut satisfaciatur, per legitimum iudicem compelli potest, per dicta a n. 166. Similiter spoliari potest armis prohibitis si quæ secum tulit. Doctores post Covarruviam *Variar. resolut.* cap. xx, n. 18, corol. 36.

171. *Neque potest in loco asyli carcerari, aut vinculis constringi.* — VII. Est, quod reus in loco asyli non possit capi, nec carcerari, nec vinculis constringi a potestate sæculari. Farinacius, loc. cit. n. 297; Castro Palao, loc. cit. n. 6; Covarruvias, loc. cit. n. 17 in princ.; Tuschus, §. *Ecclesie*. concl. n. 12. et alii communiter, arg. l. *Præsenti*. c. de *illis, qui ad eccles. confug.* ibi: « Non patimur etc. in ecclesiis quempiam detineri atque constringi, » et can. *Diffinivit*. 36. cau. 17. q. 4. Ratio est, quia alias ex loco asyli fieret carcer, quod est contra immunitatis naturam. Quomodo autem, et a quo custodiri possint et debeant, ubi dubium est, vel constat, crimen esse exceptum, dicitur statim paragrapho sequenti.

§ VII.

DE CUSTODIA, ET EXTRACTIONE CONFUGIENTIUM AD ECCLESIAM: MODOQUE CUSTODIENDI, ET EXTRAHENDI EOSDEM: UBI ETIAM DE RESTITUTIONE MALE EXTRACTORUM.

172. *Gaudens asylo non debet, nec potest custodiri, aut carcerari in loco sacro.* — Quæ-

ritur I. An, a quo, et quando custodiri possint, ac debeant rei ad ecclesiam confugientes, ne elabantur, donec ab episcopo cognoscatur, num gaudeant immunitate necne? Resp. I. In casu, quo liquide constat crimen non esse exceptum, ipsumque confugientem gaudere asylo, nec rectores ecclesie, nec sæcularis potestas intra ecclesiam, seu alium locum sacrum, aliquo modo carcerare, vel custodire reum potest aut tenetur. Ita ferme omnes. Paletque conclusio ex dictis n. præced. Et ratio est, quia in tali casu cessat custodiendi ratio et finis, qui est, ut jure asyli carens legitime tradi valeat curiæ sæculari, et ab ea puniri, ne delicta maneant impunita.

173. *Bene tamen extra illum.* — Dixi: « Intra ecclesiam, » quia extra illam bene potest potestas sæcularis custodiam ponere ad præcavendum, ne libere effugiat reus, et ut, si exeat, extra facilius capi, et puniri valeat. Farinacius, ubi supra n. 229; Bonacina, tom. II, disp. 3, q. 7, punc. 3, n. 2, citans Marium Ital. de Immunit. lib. I, cap. vi, § 2, n. 52; Haunold. loc. cit. n. 243; Castro Palao, loc. cit. n. 6. Ratio est, quia per talem custodiam penitus nulla vis, vel injuria inferitur loco sacro; præsertim, cum, uti supponitur, liber permittatur accessus deferentibus reo necessaria vita.

174. *Quando dubium est, vel constat, crimen esse exceptum, tenentur rectores ecclesie custodire reum, ne elabatur, si fuerint requisiti.* — Resp. II. Quando dubium, ac controversia est, num reum ob qualitatem delicti, aut personæ, vel aliam rationem asylo gaudeat, necne? et multo magis si indubitanter constat crimen esse exceptum, potest, et tenetur rector ecclesie, aut alterius loci sacri, « si fuerit requisitus, » caute custodire reum, adhibitis etiam, si opus foret, carceribus, et compedibus, donec ab episcopo causa examinetur, ac decidatur. Farinacius, loc. cit. n. 298; Tuschus, §. *Ecclesia*. conclus. 10, n. 12, et seqq. qui ambo addunt, rectorem ecclesie teneri de culpa, et debere puniri a suo superiore, si reus elabatur. Anchoranus, in c. *Inter alia*. 6. h. t. n. 8; Marius Ital. loc. cit.; Decian. in *Tract. crimin.* lib. VI, cap. xxvi, n. 9. Et plures alii a Farinacio citati. Probatur ex Bulla Gregorii XIV, § ubi Papa curiæ sæculari concedit, quod in casu conclusionis etiam vi extrahere possit reum, si personæ ecclesiasticæ in casu criminis excepti de-

bent curiæ sæculari, juxta dicenda infra n. 180. Ergo in casu dubio et controverso et multo magis in certo, saltem interim custodiri debent (si fuerint requisiti) ut causa per episcopum examinata, tradi, si fieri oportet, possint. Et certe si rectores ecclesie debite requisiti custodire præfatos reos criminis excepti non tenerentur, sed eos libere dimittere, vel etiam, ut fieri solet, omnem occasionem fugæ præberent, et ad eam juvare possent, Bulla Gregorii XIV, in eo, quo disponit, ut rei criminis excepti curiæ sæculari tradantur, criminaque excepta impunita non maneant, non tandem elideretur, sed etiam occasio scandali oriretur, quo facile inducerentur curiæ sæculares, ut in quovis dubio casu sine alia repositione eriperent reum, timentes, ne, donec responsio ab episcopo veniat, reus incustoditus, auxilio rectorum ecclesie elabatur.

175. *In casu criminis excepti non potest curia sæcularis in ipso loco sacro custodire reum.* — Resp. III. In præfato casu dubio aut controverso, vel etiam certo criminis excepti, regulariter ac de jure loquendo nequit potestas sæcularis reum in ipso sacro loco sine expressa licentiâ episcopi carcerare, vinculis constringere, aut alio modo custodire, donec causa episcopo examinetur. Farinacius, loc. cit. n. 297 et 228; Castro Palao, ubi supra n. 6; Haunoldus, tom. VI, tract. I, n. 245; Peregrinus, de Immunit. cap. xvi, n. 29, et novissime Eximius P. Wiestner, in suo *Jure asyli*, p. 5, a. 3, n. 4, per jura n. 171 citata, et præsertim Bullam Gregorii XIV, ubi § 4, expresse statuitur, quod in criminibus exceptis curia sæcularis « sine expressa licentiâ episcopi » incarcerare nequeat reum. Ratio est, tum quia nequit iudex sæcularis in alieno territorio, qualis respectu ipsius est locus sacer, exercere aliquam jurisdictionem contentiosam, arg. l. *Extra territorium*. ff. de *Jurisdiction. omn. judic.* ergo; tum quia in tali casu ecclesia est in quasi professione ipsius rei, in qua per iudicem sæcularem turbari nequit, usque ad decisionem; præsertim cum ecclesia immunis sit ab omni jurisdictione, et vexatione potestatis sæcularis, juxta dicenda infra de Immunitate reali. et dicta superius, lib. II, tit. II, de *Foro compet.* § 9.

176. *Nisi fuerit a rectore ecclesie requisita.* — Dicitur autem notanter « regulariter ac de jure loquendo; » quia limitat conclusio in casu, quo rector loci sacri defectu tutæ

custodiæ, aut virum implorat iudicem sæcularem pro auxilio: tali namque in casu posse potestatem sæcularem non quidem suo, sed rectoris nomine, in ipso loco sacro custodire reum, non ambigitur, ut bene observat Bonacina, tom. II, disp. 3, q. 7, punc. 3, n. 6, citans Marium Italum, loc. cit. cap. vi, n. 51; Peregrin. cap. xiii, n. 2; Covarruv. lib. II, *Resolut.* cap. xx, n. 17, et alii. Ratio est, quia hoc ipso, quod non proprio, sed rectori nomine custodiat, jam non sæculari, sed ecclesiastica potestate custodiri censetur reus, arg. l. 1, § 6, *Sed neque*. c. de *Veteri jure enuclean.* ibi: « Omnia nostra facimus, quibus ex nobis auctoritas impertitur. »

177. *Aut rector ecclesie requisitus custodire recuset.* — Limitatur II. In casu, quo rectores ecclesie debite requisiti, ut reum usque ad responsum episcopi sufficienter custodiant, id facere recusarent, vel adimplere negligerent, prout ipsemet Pontifex in citata Bulla § 4, limitat illis verbis: « Nisi personæ ecclesiasticæ requisitæ illos in delictis superius expressis culpabiles tradere, aut capluræ, et carcerationi intervenire, et assistere recusarint. » In quo casu concedit Papa curiæ sæculari, quod reum etiam extrahere, ergo multo magis, quod eundem in loco sacro custodire possit: Nam « cui licet, quod plus est, licet utique quod est minus, » c. c. *Cui de Reg. jur.* in 6, plus autem est vi extrahere, quam tantum in loco sacro custodire, et minus per hoc, quam illud læditur immunitas; ergo.

178. *Rectores ecclesie reum invitum tradere non possunt curiæ sæculari.* — Quæritur II. An, quando, et a quo curiæ sæculari extrahi possint, ac debeant rei ad loca sacra contugientes? Resp. I. Quamvis olim de jure antiquo quivis reus ad ecclesiam confugientes a rectore ecclesie tradi potuerit potestati sæculari, si hæc præstito juramento impunitatem rei promisit, arg. can. *Diffinivit*, 35, et can. *Id constitutum*. 36, cau. 17, q. 4, ibi: « Reos non licet alteri consignare, nisi ad Evangelia datis sacramentis de morte, et debilitate de omni pœnarum genere sint securi. » Hodie tamen post Bullam Gregorii XIV, rectores ecclesie etiam recepto juramento nullum invitum tradere possunt, nisi clare constet, eum commisisse crimen exceptum. Farinacius, in append. de Immunit. cap. xxii, n. 344; Haunoldus, tom. VI, tract. I, n. 243; Castro Palao, p. II,

tract. XI, disp. un. punc. 43, n. 2, et alii. Probatur ex dicta Bulla Gregorii XIV, § 3, ubi tantum in casibus exceptis conceditur praelatis ecclesiarum, quod reum extradere possint; ergo a sensu contrario in casibus non exceptis invitum extradere nequeunt, praesertim cum ad finem addatur decretum irritans.

179. *Secus est, si ipse exire velit.* — Dicitur notanter « invitum; » quia si reus sponte exire vult ad tempus aliquod, ut citatus coram iudice respondeat v. g. seque purget, vel cum parte laesa componat, vel quid aliud faciat, a rectore ecclesiae libere dimitti potest, et ut dimittat, saepe expedit; dummodo prius instet, ut iudex securitatem, et liberum regressum una cum salvo conducto, si necesse fuerit, promittat; sic enim, cum iudex tenetur stare promissis juxta dictum n. 162, absque periculo exire, et redire, simulque causae suae vigilare poterit absque ulla immunitatis laesione. Imo, si absolute discedere, et iudicis clementiae, aut discretioni committere se velit reus, omnino eum dimittere potest rector ecclesiae, idque absque petita episcopi licentia per dicta n. 161.

180. *Tradere etiam possunt, et debent reum criminis excepti, si fuerint requisiti.* — Resp. II. Tam episcopi, quam inferiores regulares, et saeculares rectores ecclesiarum non tantum possunt, sed etiam tenentur extradere reum, qui aliquod e criminibus exceptis commisit, si fuerint requisiti a curia saeculari. Castro Palao ubi supra n. 1, cum communi, et certa aliorum. Idque clare patet ex saepe citata Bulla Gregorii XIV, § 3, ubi recensitis criminibus exceptis, statuit his verbis: « Universis et singulis patriarchis, primatibus, archiepiscopis, caeterisque ecclesiarum praelatis tam regularibus districte mandamus, ut laicos, etc. qui praedicta delicta, vel eorum aliquod iudicio suo commisisse videbuntur, quando a curia saeculari fuerint requisiti, et quilibet eorum fuerit requisitus, ministris et officialibus curiae saecularis absque irregularitatis nota, aut alienius censurae ecclesiasticae incursu tradi et consignari curent, et faciant, et quilibet eorum curet, et faciat. »

181. *Absque hoc quod petant iuramentum de non inferenda poena mortis, aut protestationem faciant.* — Resp. III. Ad hoc, ut reus criminis excepti legitime tradatur curiae saeculari, non requiritur, ut episcopi aut alii

ecclesiarum rectores exigant, vel potestates saeculares praestent iuramentum de non inferenda poena mortis, aut corporali; neque necesse est, ut circa hoc protestationem faciant praefati ecclesiarum rectores; Farinacius ubi supra cap. xxii, n. 343; Castro Palao, loc. cit. n. 3; Bonacina, tom. II, disp. 3, q. 7, § 7, n. 12; Bajard. in addit. *ad Clar.* q. 30, n. 25, cum communi aliorum, id probantium per allegatum, n. praeced. Bullae Gregorianae textum, ubi prorsus nulla fit mentio de aliquo iuramento, cautione, aut protestatione, sed potius contrarium insinuat, dum dicitur, posse talem absque irregularitatis, aut alienius censurae ecclesiasticae nota tradi. Accedit teste Farinacius, loc. cit. et Barbosa, in can. *Reum*, 9, can. 17, q. 4, n. 4, et aliis, recepta locorum praxis, ac consuetudo, « quae est optima legum interpretis, » c. *Cum dilectus de Consuetud.* Imo addunt primum citati auctores, non teneri iudicem saecularem servare promissionem de non puniendo extractum reum criminis excepti.

182. *Secundum aliquos requiritur ad extradendum licentia episcopi.* — Queritur III. An necessaria sit licentia episcopi ad hoc, ut reus criminis excepti tradi possit curiae saeculari eundem requirenti? Ad hoc quaestum affirmative respondit Castro Palao, loc. cit. n. 3; Bonacina, loc. cit. n. 4; Haunoldus, loc. cit. n. 226, et alii id potius supplicantes, quam probantes; Castro Palao enim, et Haunoldus nec legem, nec rationem afferunt; Bonacina vero, licet ex iure, et ratione probationem facere nitatur, tamen quia potius de extractione, quam traditione procedit, efficax non videtur. Optima probatio pro eis esse videtur praxis et consuetudo optima legum interpretis, c. 8, *de Consuetud.* c. l. 37, ff. *de Legib.*

183. *Contrarium est probabile.* — Verum loquendo de iure, et manendo in terminis Bullae Gregorianae non improbable videtur, posse rectores ecclesiae etiam absque petita licentia episcopi reum extradere curiae saeculari, si clare et indubitanter constat, eum commisisse crimen exceptum. Et quidem, quod de iure communi fieri queat, patet ex c. *Inter alia*, 6, h. t. quod autem vi Bullae Gregorianae fieri possit, liquet ex § 3, ejusdem, cujus textum vide et lege n. 180, ubi specialiter considerandum, quod non tantum episcopis, sed etiam omnibus et singulis « ecclesiarum, et monasteriorum praela-

tis tam saecularibus quam regularibus » districte praecipit Papa, « ut laicos, qui delicta excepta, vel aliquod eorum iudicio suo commisisse videbuntur; quando a curia saeculari fuerint requisiti, et quilibet eorum fuerit requisitus, etc. tradi et consignari curent et faciant: et NB. quilibet eorum curet et faciat. » Nota repetitis terminis, *quilibet* si fuerit requisitus *tenetur*, consequenter a fortiori potest talem reum tradere, etiam absque licentia, aut mandato episcopi, eo quod in Bulla penitus non requiratur.

Nec dicas, § 4, statim sequenti expresse requiri licentiam episcopi, vel ejus vicarii generalis, quod idem requirere videtur § 5. Nam contra est, quod § 4 non loquatur de extraditione, quae sit per ipsos rectores ecclesiae, sed de extractione, captura, et incarceratione, quam irrequisitis rectoribus ecclesiae facere volunt potestates saeculares, et ad has, vel earum aliquam extractionem nempe, capturam, aut incarcerationem rei per saeculares faciendam: non item ad extraditionem per rectores ecclesiae praestandam, licentiam episcopi requiri, citato § 4, statuitur, ibi: « Decernimus, et declaramus, ut curia saecularis, ejusque iudices (ecce de his, et non de rectoribus ecclesiae loquitur) delinquentem in aliquo ex dictis casibus sine expressa licentia episcopi vel ejus officialis, etc. capere, extrahere, aut incarcerare (ecce nulla mentio de extraditione per praelatos ecclesiae faciendam) non possint, nisi in casu, » etc. Dein non obstat § 5, utpote qui pariter non extraditionem per rectores ecclesiae faciendam, sed de longe alio casu, illo nempe loquitur, quo rectoribus ecclesiae post requisitionem factam, reum tradere recusantibus, potestas saecularis reum extrahit, in quo casu extractus ad carcerem curiae ecclesiasticae collocari jubetur, donec causa ab episcopo examinetur. Legat, et relegat benevolus lector Bullam, praesertim 3, 4, et 5, §, et aliter non inveniet, sed fatetur, quod respectata Bulla Gregoriana rectores ecclesiae ad tradendum reum curiae saeculari, qui crimen exceptum indubitanter commisit, licentia speciali revera non indigent; cum eandem a iure ipso habeant.

184. *Dummodo constet, crimen esse exceptum.* — Dicitur autem notanter, « si clare ac indubitanter constat crimen esse exceptum: » quia certum est, in dubio, an crimen exceptum sit, necne? non posse re-

tores ecclesiae absque licentia episcopi reum tradere curiae saeculari, eo quod in dubio ad solum episcopum tanquam iudicem legitimum pertineat, decernere, an reus asylo gaudeat, necne? juxta dicenda infra n. 193. et seq. Neque Bulla concedit eis facultatem tradendi reum in dubio, sed solum « si iudicio suo » crimen revera exceptum esse, indubitanter videtur. Hinc, quia raro contingit, quin in casu criminis excepti causae et rationes dubitandi occurrant, et controvertendi, regulariter et ordinarie loquendo, optime faciunt ecclesiarum rectores, si ad episcopum recurrant, praesertim illi, qui se minus profunde doctos norunt, et rem pro merito causae discutere sufficienter non valent. Imo etiam illi, qui rem optime intelligentes clare cognoscunt, crimen esse exceptum, male non faciunt, sed secure agunt, si absque licentia episcopi reum non extradunt; eo quod si non jura et Bulla, saltem consuetudo passim vigens eisdem suffragetur juxta dicta n. 182, dummodo interea, donec responsio ab episcopo veniat, reum caute custodiant, si fuerint requisiti, juxta dicta n. 174.

185. *Et requirantur a potestate saeculari.* — Dicitur hucusque saepius: « Si fuerint requisiti; » quia tunc tantum, « quando a curia saeculari fuerint requisiti, » vult Papa, ut custodiant, vel tradant reum criminis excepti; consequenter a sensu contrario, « si non requiruntur, » nec custodire, nec extradere tenentur talem reum, sed possunt eum libere dimittere, et ad fugam juvare.

186. *An, quando reum extrahere possit curia saecularis?* — Queritur IV. an, quando, et quomodo potestas saecularis capere, aut extrahere possit reum in loco asyli existentem? Resp. I. Quando constat reum nullum commisisse crimen exceptum, nullo modo eum extrahere potest curia saecularis. Omnes. Patetque conclus. ex dictis n. 160.

187. Resp. II. Etiam in casu, quo dubium est, imo quo certo constat reum commisisse crimen exceptum, non potest curia saecularis « sine expressa licentia episcopi, aut ejus officialis (id est vicarii generalis arg. Clem. 2. *de Rescript.*) et eum interventu personae ecclesiasticae ab eo auctoritatem habenti reum (in solo asyli) capere, aut extrahere. » Ita clare statutum habetur in saepe citata Bulla Gregorii XIV, § 4, ubi unica subjungitur limitatio, illis verbis: « Nisi eo casu, quo ipse episcopus, et dictae personae eccle-

siasticæ requisitæ illos in dilectis superius expressis culpabiles tradere, aut capturæ, et carcerationi intervenire, et assistere recusarint, tuncque reverentiæ ecclesiæ, et locis sacris debitæ memores, prædictos delinquentes, minori quo id fieri poterit, scandalo, et tumultu extrahere curent. »

188. *Quomodo cum extracto procedere possit, ac debeat?* — Resp. III. Quando in casu criminis excepti rei (causa per episcopum nondum examinata) cum, vel sine licentia episcopi per rectores ecclesiæ traduntur, ac per curiam sæcularem extrahuntur, non statim ad carceres sæculares duci, multo minus puniri possunt, sed « ab ecclesiis, locisque sacris extracti, et capti ad carceres curiæ ecclesiasticæ reponi, et inibi sub tuto, et firmo carcere, ac opportuna custodia, data illis, si opus fuerit, per Curiam sæcularem detineri debeant, nec inde extrahi, curiæque sæculari prædictæ consignari, nec tradi possint, nisi cognito prius per episcopum, seu ab eo deputatum, an ipsi vere crimina superius expressa commiserint; tuncque demum de mandato episcopi per iudicem ecclesiasticum curiæ sæculari, quacunque appellatione postposita consignentur. » Ita in terminis Bulla Gregoriana, supra n. 82. allegata § 5.

189. *Compendiosa et practica instructio circa materiam asyli occurrente casu dubio de crimine excepto.* — Ut autem in compendio habeatur, qualiter, et quomodo tam rectores ecclesiarum, quam iudices sæculares rite se habere possint ac debeant, in casu, quo dubitatur, aut constat, a confugiente ad locum asyli fuisse commissum crimen exceptum, breviter, et clare pro praxi hic per modum corollarii subjungitur. Itaque quando malefactor aliquis venit ad ecclesiam, monasterium, aut alium locum sacrum, de quo dubitatur, an gaudeat asylo necne, bene facit rector loci sacri, si reum in dubio, et periculo admoneat, eique fugam suadeat, et ad eam adjuvet, antequam a curia sæculari ad eum bene custodiendum, aut tradendum requiratur; tunc enim fugæ locus non amplius esset, sed reum vel ipse custodire, vel curiæ sæcularis custodiam admittere deberet, ne elabatur, donec ab episcopo causa examinetur, juxta dicta n. 174 et seq. Potestas vero sæcularis reum in ipso loco sacro non statim capere, nec inibi eundem custodire, multo minus extrahere potest, juxta dicta n. 187. sed prius rectorem eccle-

siæ requirere debet, ut reum vel ipse tutissime custodiat, aut si non possit, vel nolit, saltem permittat, quod ab ipsa potestate sæculari ejusdem nomine id fiat, juxta dicta n. 175. et seq. Requisitione hac facta, si rector ecclesiæ reum sufficienter custodire recuset, vel negligat, poterit potestas sæcularis eundem in ipso loco sacro, si opus fuerit custodire, donec causa ab episcopo examinetur, ac determinetur, juxta dicta n. 17. Si vero rector ecclesiæ requisitus assensuerit, quod usque ad decisionem ab episcopo faciendam ipsemet reum in asyli loco sufficienter custodire velit, uti debet, si occasionem habet, juxta dicta, n. 74, potestas sæcularis reum in ipso loco sacro, nisi a rectore viribus, et occasione destituito ad id imploretur, custodire non potest, bene tamen rectori ecclesiæ serio inculcare, ut reum interea omnino caute custodiat, ne reo elabente ab ipso rectore coram superiore legitimo ratio reddenda rigide exigatur.

190. Idem ferme observandum erit, quando sine dubio constat a reo confugiente ad ecclesiam commissum esse delictum exceptum, præterquam quod quamvis rector ecclesiæ, criminis excepti indubitanter reum recipere possit, tamen non teneatur, sed statim ab initio eum repellere, seu locum asyli negare, eique dicere possit: Bone amice! quia criminis excepti certo reus appares, vade vias tuas, et fuga tibi consule, quia non gaudet asylo, nec etiam tutus esses in loco: pari modo potest jam receptum, vel inscio rectore ingressum iterum dimittere, ac etiam invitum alio dirigere valet. Potestas vero sæcularis eundem in loco sacro non tantum custodire, sed etiam, si malit, inde eripere, seu extrahere potest, si rector ecclesiæ debite requisitus eundem nec sufficienter custodire, nec tradere velit, juxta dicta n. 177. et 187. quod tamen non potest ante requisitionem, neque post illam, si ipse rector reum sufficienter custodire, aut tradere paratus sit. Porro si potestas sæcularis rectore ecclesiæ post requisitionem custodire, ac tradere recusante, reum extrahit, non potest statim ad proprios carceres ducere, multo minus punire, sed debet eundem carceri curiæ ecclesiasticæ committere, ibique, si opus fuerit, eundem custodire, donec causa ab episcopo examinetur, ac decidatur, n. 188.

191. Illud etiam observandum, quod quando confugiens ad locum asyli, nullum

crimen exceptum commisit; item etiam quando dubium, vel certum est, eum commisisse crimen exceptum, hoc tamen adhuc nondum publice constat, vel si constat, sed non scitur, eum esse in hoc asyli loco, vel denique si crimen exceptum esse commissum, et fugientem in certo asyli loco existere constat quidem, potestas tamen sæcularis eundem a rectore non requirit, non tenetur hic episcopum de casu informare: quamprimum vero dicta potestas sæcularis rectorem, ut supra n. 187. requirit, debet illico episcopum de casu circumstantionate informare, ac interea observare, quæ n. 189 et seqq. dicta sunt.

192. Episcopus autem certior factus debet causam debite examinare, et decidere, an reus gaudeat asylo necne? Etsi judicaverit, eum non gaudere, debet eum « cum inventu personæ ecclesiasticæ » ab eo auctoritatem habentis, Curiæ sæculari, ejusque liberæ dispositioni tradere juxta Bullæ § 5. nulla facta petitione de non infligenda pœna mortis, vel corporali, nec protestatione contra eandem juxta dicta n. 181. Si vero judicaverit eum gaudere, debet curare, et mandare, ut custodia, si quæ est in loco sacro, amoveatur, vel reus, si e loco sacro extractus, in carceribus episcopalibus, aut inibi existit, iterum loco unde ereptus est, restituatur, juxta dicenda n. 206.

193. *In dubio an reus gaudeat asylo cognoscit solus episcopus.* — Queritur V. Quis sit iudex emergente dubio aut controversia in materia immunitatis asyli? et quomodo in casu procedere aut judicare debeat? Ante responsum notandum, triplex posse oriri dubium ad præsens, videlicet I. De qualitate personæ? II. An locus, ubi est, vel deliquit; sit sacer vel non? consequenter an gaudeat jure asyli? III. An reus commiserit crimen exceptum, necne? Resp. Ad solum iudicem ecclesiasticum, episcopum nempe spectat judicialiter cognoscere, et judicare, num reus gaudeat asylo, necne, si dubium, vel controversia oritur ex qualitate personæ, vel loci; Pignatell., tom. IX, consult. 22, n. 30; Bonacina, cit. disp. 3, q. 7, § 7, punc. 3, n. 16; Peregrinus, de Immunit. cap. XIII, n. 48; Barbosa, de Offic. et potest. episc. p. 2, allegat. 12, n. 34, et lib. II. I. E. N. cap. III, n. 154 et seqq. Covarruvias, Pract. q. 33, n. 4. cum communi aliorum contra nonnullos alios. Et quidem si controversia est de persona, patet ex c. Si iudex. 12. de Sen-

tent. excommunicat. in 6. ibi: « Dubitationis, an sit, qui reperitur, clericus, ad iudicem ecclesiasticum cognitio pertinebit: » ubi etiam ratio additur: « quia de re spirituali, et ecclesiastica est. » Si vero de loco, deducitur ex c. 2 de Judiciis: siquidem juris regula universalis est, quod de causa spirituali et ecclesiastica, eique annexa, sive principaliter, sive incidenter in iudicium deducatur, non nisi iudex ecclesiasticus cognoscat, arg. c. 2. et 3. de Judiciis, et c. 3. de Ordin. cognit. consequenter cum immunitatis sit causa ecclesiastica, fatentibus id etiam adversariis, de ea non nisi iudex ecclesiasticus cognoscere poterit.

194. Resp. denuo I. Si dubium et controversia est, an crimen commissum sit de exceptis necne? Rursus solus episcopus judicialiter cognoscit ac determinat. Covarruvias, in append. de Immunit. cap. XXII. n. 367. et seqq. ubi pluribus citatis testatur de communi, et praxi et recepta. Pignatell. ubi supra n. 28. ubi cum indignatione contrasentientes contrarium ait: « Castigare hic debeo insignes ineptias, et vere emortarum mentium aberrationes multorum, qui dixerunt, ad iudicem sæcularem spectare interdum cognitionem, an delictum sit exceptum a constitutione Gregorianæ, » etc.; Gutierrez, lib. III. Pract. q. 1. n. 5. ubi testatur de quotidiana praxi; Guaz. Defens. cap. xxxi, n. 3; Barbosa, lib. II. Jur. Eccles. univ. cap. III, n. 154 et seqq. cum communi aliorum. Idque probatur clare ex sæpe citata Bulla Gregoriana, ubi § 4. expresse dicitur, quod « ad solos episcopos, et non ad alios episcopos inferiores, etc. pertineat: » item ibidem: « Occurrente vero casu in loco excepto, et nullius diœcesis, tunc ad episcopum viciniorem devolvitur hæc cognitio. » Et § 5. ubi statuitur, quod curiæ sæculari reus nec consignari, nec tradi possit, « nisi cognito prius per episcopum, seu ab eo deputatum, an ipsi vere crimina superius expressa commiserint. » Ratio est, quæ supra, videlicet, quia immunitas est causa ecclesiastica, utpote jus annexum spiritualibus, sacris nempe ac religiosis locis, quorum ad honorem, venerationem, ac reverentiam est introducta, arg. l. Presenti. c. de His, qui ad Eccles. confug. et cau. Reum. can. Frater. can. Diffinit. cau. 17. q. 4. causæ autem ecclesiasticæ cognitio non nisi iudici ecclesiastico competit, cit. c. 2 et 3. de Judiciis. Accedit universalis locorum consue-